

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:  
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam  
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius  
notitiam, informatio**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Exegesis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

ut rectè dixerit B. Lutherus : Sieber Herr S. Marti. / Sie han dich leyden werth. Sie opffern dir ein Pfennig / und stehlen dir ein Pferd.

Ideoque idem ipsis accidit, quod Absoloni, ut cum flava caesarie, iniqui Mammonis, in quercu exitii pendeant, & absumantur à terrore, Psal 73 v. 19.

Exemplum habemus in epulone divite, prælecti Evangelii, quem Deus multis divitiis cumulaverat, propterea quoque cristas sustulit, ut non modò indutus fuerit, purpurâ & bysso : sed & quotidie splendide epulatus. At mendico Lazaro, micæ de mensa cadentes invidit : tandem verò & corpore & animâ Diaboli mancipium factus, abiit in locum tormentorum, ubi ne guttulâ quidem aquæ potiri potuit, quâ linguam suam refrigeraverit.

Nos absq; ulteriori præloquio ad ipsam Evangelium conferemus nos, tractaturi pro instituti ratione, ex eodem :

I. Ἀποστολογίαν sive *notitiam nostri.*

II. Χριστολογίαν, sive *notitiam Christi.*

J. J.

### Exegesis.

**N**on immeritò temporales divitiæ spinis à Servatore nostro comparantur, Luc. 8. v. 14. Sicuti enim illæ quidem pulchrè florent, & non ingratus odorem de se spargunt : at amarus & acerbos fructus ferunt : Sic aurum & argentum jucundum quidem aspectu est, sed fructus inde enascentes, si cor iis apponatur, sunt nil, nisi fel Draconum, & venenum aspidum insanabile, Deut. 32. v. 33.

Id dives epulo reipsâ expertus, qui per abusum divitiarum, in æternum exitium præcipitatus est, ut præsens Evangelium demonstrat.

Nos hinc *notitiam nostri* discere possumus, quando intuemur :

I. *Epulonis luxum*, quem ostentavit

1. *in amictu.* Et si enim homo privatus erat, tamen habitu regio incedebat, & induebatur purpurâ & bysso. Purpura enim olim Regius ornatus fuit, nulli privato licitus. Ideò de summo Pontifice Simone refertur, quod Syriæ Rex Demetrius ei permiserit, ut purpurâ & auro operiretur, quod aliàs ei non licuisset, 1. Macc. 14. v. 43.

Byssus quoque linteum adeò pretiosum fuit, ut ab igne lædi minus potuerit, propterea moris erat, ut corpora Regum defunctorum ipsi involverentur, quando more gentili exurebantur, ne cinis dispergeretur, teste Plinio. Hodie ignotum nobis est, interea tamen hinc constare potest, de luxu hujus viri, qui in ea persuasione fuit, sibi, ut pecuniâ, instructo, omnem corporis cultum licere, juxta tritum illud : Gut macht Muth / Muth bringt Ubersmuth / Ubersmuth thut kein gut. In vestitu ne gloriaris unquam, ait Siracides, cap 11. v. 4. Dominus enim contentibiles reddidit elatos, & destruxit eos, usq; in finem. Sir. 10. vers. 16.

2. *In victu.* Quotidie enim λαμπρῶς φαίνεσθαι, quo ipso indicatur, quod non pro indigentia ederit & biberit, sic enim non peccasset. Pater tuus nunquid non comedit & bibit? Jerem. 22. v. 15. Sed in eo voluptatem & delectationem suam quasiivit, sicut de potentibus ad bibendum vinum, & fortibus ad miscendam ebrietatem dicitur, quod manè consurgant ad ebrietatem sectandam, Esa. 5. v. 11. 12. Sic procul dubio dives hic epulo nihil omisit, quod gaudium & lætitiâ excitare potuerit.

Hinc

Hinc vox Epicureorum: Venite & fruamur bonis quæ sunt, & utamur creaturâ. Sap. 2. v. 6. 9.

*Hic velim examines te, mi Christiane! annon in simili luxu quandoque vixeris, & Deum tuum offenderis?*

Dives hic gurgēs, non saltem quinque, sed plurimos fratres in mundo reliquit, qui vestigiis ejus insistentes, epicuream vitam continuant, ubi ille desit.

Quid vulgarius est, quàm vestimentorum luxus? ubi singulis ferè mensibus novus habitus fingitur, nihilquæ decens habetur, nisi ad Gallicum morem formatum. Ut non modò propterea ludibrio simus exoticis nationibus; sed & justam Dei pœnam nobis accersamus, qui ut plurimum gentes illas ad depopulandas regiones immittere solet, quorum ornamenta amulati sunt incolæ ejus. Quod & dilecta nostra patria, superiori bello satis superque magno cum detrimento experta est, cujus vestigia adhuc hodie visuntur, ubi multi, qui nutriebantur in purpura, amplexati sunt stercora, Thren. 4. v. 5. acceperuntquæ pro suavi odore fœtorem, & pro zona funiculum, & pro crispante crine calvitium, & pro pallio cilicium, Esa. 3. vers. 24.

Fugiamus luxum hunc, & si decenti veste instructi fuerimus, contenti simus, Nihil enim intulimus in hunc mundum: sed & nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus, 1. Tim. 6. v. 7.

Quid sunt serica & holoserica? Nil nisi textura vermium. Quid schamlotium? Nil nisi pili Camelorum. Quid panni sive pannificia? Nil nisi lana ovium. Quid varia linteamina? Nil nisi linum

& cannabis, ex quibus contextuntur. Quid pretiosa pellicea? Nil nisi exuviæ ferarum. Nonne stultitia est his superbire, in iisque gloriam querere? cum omnia hæc dignitatem nostram minimè æquent? quid bombycina, pili camelorum, lana ovium, lina & ferarum pelles nobis ornamentis conferre possunt! Gloriarè potius, quod te Deus ad imaginem suam condiderit, & per Christum renovaverit, hic optimus ornatus est, in quo gloriari, & dicere possumus: Gaudens gaudebo in Domino, quia induit me vestimentis salutis, Esa. 61. v. 10.

Sic quod *commessationes* attinet, itidem in hac mundi fece nihil familiarius est, quàm quod de Israëlitis dicitur: Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere, Exod. 32. v. 6.

Sic Bacchus & Venus ut plurimum conjuncti sunt, quos comitantur choreæ, & variæ libidines, imprimis noctu, juxta Ovidium:

--Tenebræ minuunt, noxquæ; atra pudorem.

Genuini Christiani videant, ut omnia honestè & secundum ordinem fiant, 1. Cor. 14. vers. ult. sicuti enim comedere & bibere non prohibitum est, Eccles. 3. vers. 13. sic & tempus saltandi est, Eccles. 3. vers. 4. verum sine judicio nihil faciendum. Sir. 33. v. 30. nec carnis cura ad desideria, Roman. 13. vers. ult. Secus enim nil nisi vix sequetur, Esa. 5. vers. 1.

II. *Tormentororum locum.* De epulone enim dicitur: Mortuus & sepultus est in inferno. Elevans autem oculos suos cum esset in tormentis &c.

Hic finem & exitum audimus, gurgitis opulenti. Sine dubio sepultura ejus honorificen-

rificentissime instructa fuit, nihilq; eorum  
omissum, quæ ad pompam facere potue-  
runt. Nec dubitandum, quin & egregio  
eloquio & Epitaphio honoratus fuerit. In-  
terea tamen anima in inferno & tormentis  
fuit, à Diabolis miserè torta & vexata, sicut  
in Græco duæ emphaticæ voculæ occur-  
runt, (*καὶ σαρξ* & *καὶ ψυχή*) quarum altera,  
carnificinam, quæ malefici torqueri solent,  
altera dolores parturientis significat; sicut  
igitur dolores hi exquisitissimi sunt, sic col-  
ligere hinc possumus, in quanto cruciatu  
damnati in inferno versentur, qui pœnas  
dabunt, interitum æternum, à facie Domi-  
ni, & à gloria virtutis ejus, 2. Theff. 1. v. 9.  
*ἐν ἰσχύϊ & πυλλοζισμῷ ἀμαρτημάτων*, in co-  
gitatione peccatorum suorum timidi, Sap.  
4. v. ult.

*Hic proba te, mi Christiane! utrum ex  
animo infernum credas, & ejusdem sedulo  
recorderis?*

Ab exordio mundi, tam in ecclesia, quàm  
extra eandem reperti sunt, qui fidei hunc  
articulum non magnoperè curarunt.

Antesignanus horum fuit *Cain*, de quo  
Targum Hierosolymitanum memorat,  
quod cum fratre Abele collocutus, expressè  
dixerit: *Non est seculum aliud, nec merces  
bona pro justis, nec pœna pro impiis.*

Eandem cantilenam Epicuri de grege  
porci in hunc usque diem personuerunt.  
Fabula sunt manes, ait Vates.

Et iterum:

Esse aliquos manes & subterranea regna,  
Vix pueri credunt.

Ejusmodi Epicuri etiam inter illos sese of-  
ferunt, qui nomine Christiano insigniri  
volunt, qui ecclesiæ cœtum relinquunt,  
nedum sacrâ cenâ utuntur, quâ fidem  
roborare possint. Potius instar porco-

rum in diem viventes, ventrem Deum con-  
stituerunt, dicentes: Fortuitò nati sumus,  
& post hoc erimus, quasi non fuerimus;  
quoniam fumus afflatus est in naribus no-  
stris, ex Sap. 2. v. 2. 3.

Hi deteriores Judæis & Turcis sunt, qui  
infernum & vitam æternam credunt,  
quamvis errores suos immisceant.

Dives epulo, ultra mille sexcentos annos  
jam comperit, cui antè fidem adhibere no-  
luit, hospitium illud satis capax est; ut simi-  
les ejusdem excipiat. Præparata est ab heri  
Tophet, funda & dilatata. Habitatio ejus  
ignis & ligna multa: flatus Domini, sicut  
torrens sulphuris, succendens eam. Esa. 30.  
v. ult.

Perpendite modò, in timore Domini, di-  
lecti! quanta mutatio Epulonis hujus fa-  
cta fuerit?

Hic habitavit in instructissimo Palatio;  
Sed post mortem anima ejus, à malis spiri-  
tibus abrepta fuit in abyssum infernalem,  
ubi damnati, sicut oves in inferno positi  
sunt, mors depascit eos, in æternum. Psal.  
49. v. 15.

Hic in quotidianis deliciis vixit: Sed post  
mortem venit in locum tormentorum, ubi  
quotidie quasi excarnificatur, tantisque  
cruciatibus subjectus est, qui omnia mun-  
di hujus tormenta longissimè superant.  
Licet enim in hoc mundo dolores acer-  
bissimi sint, finem tamen tandem habent,  
nec ultra hominis vitam se extendunt; sed  
ibi tormentorum finis non erit: vermis  
eorum non morietur, & ignis eorum non  
extinguetur, Esa. 66. v. ult. nec habebunt  
requiem die ac nocte, Apoc. 14. v. 11.

Hic injurgitavit se flore Liberi, & in ab-  
undantia vixit: sed post mortem fame &  
siti

fiti torquetur, in stagno, ardente igne & sulphure, Apoc. 21. v. 8.

Hic indutus fuit purpurâ & bysso, sed post mortem sedet in flamma infernali, quâ in æternum amictus erit, Matth. 25. vers. 41.

Hic aures obturavit ad preces Lazari, cui micæ de mensa sua cadentes denegavit: Post mortem pœna talionis sequitur, neque enim guttulam aquæ impetrare potest, quâ linguam suam refrigerare possit.

Hoc qui æquâ animi lance perpendit, meritò exhorrescere debet, æternitas enim sine fine erit.

Leo dicitur aliquando convivium instruxisse, & omnia animalia invitasse, ubi omnes, qui apparuerunt, in antro suo dilaniavit, quod vulpecula animadvertens, introire noluit, causam leoni quærenti, respondit vulpecula:

----- Quia me vestigia terrent  
Omnia te adversum spectantia, nulla  
retorsum.

Idem spiritualiter & nos faciamus, & quando Diabolus, qui leo rugiens appellatur, 1. Petr. 5. v. 8. nos ad peccata, tanquam convivium invitat, ut cum eo conversationem habeamus: apprimè caveamus, ne seducamur ab eo: qui enim semel in infernum detrusus est, evadere nequit, quoniam consignatus est, Sap. 2. v. 5.

----- Facilis descensus averni est,  
Sed revocare gradus, superasque evadere ad auras,  
Hic opus, hic labor est.

Identidem proinde recordemur Inferni: *Gebenna enim meminisse, non sinit in gehennam incidere*, juxta Chrysostrum. Nec minus suspiremus cum Ecclesia:

O Christe, Servator bone,  
Qui natus es ex virgine,  
Averte nobis orcum!  
*En du süßer Jesu Christ!  
Der du Mensch geboren bist!  
Behüt uns für der Hölle.*

III. *Mosis & Prophetarum usum.* Dum enim dives heluo petit, ut Abraham mittat Lazarum in domum Patris sui, ut testetur quinque fratribus suis, ne & ipsi veniant in locum hunc tormentorum; respondet Abraham: Habent Mosen & Prophetas, audiant illos.

Per Mosen & Prophetas, scripta eorum, quæ reliquerunt, intelliguntur. Moses enim & Prophetæ mortui sunt, Joh. 8. v. 52. sed scripta eorum adhuc habemus, quibus benefacimus, attendentes, 2. Petr. 1. v. 19. Scrutamini scripturas, inquit Servator, Joh. 5. vers. 39.

*Hic te ipsum in examen voca, utrum Mosen & Prophetas sedulo audiveris?*

Eum in finem Moses & Prophetæ, ut & Apostoli & Evangelistæ adhuc hodie publicè prædicantur in ecclesia, ut illi fideliter audiantur, & in corde bono conserventur. Custodi pedem tuum, ingrediens domum Dei, & appropinqua, ut audias, Eccl. 4. v. 17. Ibi enim loquitur Moses, loquuntur Prophetæ, imò Christus ipse, in hunc diem, quando Pastores nihil extrà dicunt, quam ea, quæ Prophetæ locuti sunt, futura esse, & Moses, Act. 26. v. 22. Qui itaque ex Deo est, verbum Dei audit, Joh. 8. v. 51.

Sed idem sæpe hodie accidit, quod Athenis, ubi Stratonicus, in schola sua præter discipulos duos non habebat: Sive, sicut à Poëta Clario unus post alterum se subducebat, cum librum suum lecturus esset, ut præter Platonem nemo remaneret.

Gg Sic

Sic quando Moses & Prophetæ in Ecclesia sonant, de motu fere omnis cessat. Nonnulli plane non veniunt, ut ingrati hospites in Evangelio, Luc. 14, 18. spernentes consilium Dei ad versus semetipfos. Luc. 7, 30.

Nonnulli accedunt quidem, sed somno indulgent, ne audiant Moysen, sicut Eutychem. Act. 20, v. 9.

Alii inter conciones fabulantur, persuadentes sibi, se dudum ad unguem tenere, quod inculcatur, de quibus tamen illud Pauli dici potest, Heb. 5, v. 12.

Alii non discendi, sed calumniandi gratia accedunt, Psal. 41, v. 7. Moses & Prophetæ severiores sunt, quam ut delicatuli audiant, loqui sibi volunt placentia, Esa. 30, v. 10. non quomodo poenitentiam agere, sed vinum bibere debeant. Mich. 2, v. 11.

Hi sunt quinque illi fratres helluonis divitis, qui Moysen & Prophetas susque deque habent, propterea nec evasuri sunt æternum exitum, in revelatione Domini de cælo. 2. Thess. 1, v. 8.

Olim Joatham stetit in vertice montis Garizim, elevataque voce clamavit: Audite me optimates Sichem, ita, ut audiat vos Dominus, Jud. 9, v. 7. Sic & Ecclesiæ ministri vocem suam quasi tubam exaltant, Esa. 58, v. 1. Qui itaque illos audiet, eos Dominus vicissim auditurus est, Esa. 1, 10. Qui proinde Deum in cælo benevolum habere cupit, templum sedulo frequentet, oportet, ubi loquitur ad nos per ministros suos, Luc. 10, 16. ibi habet officinam suam, in qua velut aurifaber sedet, & purgat filios Levi, Mal. 3, 3. Ibi ignem & caminum habet, Esa. 31, v. 9. Ibi ipse præsens, distribuit gratiæ dona, justitiam, & pacem, & gaudium in Spiritu S.

Rom. 14, v. 17. Ibi invenitur cælestis sapientia, desiderabilis, super aurum, & aurum obrizum, Psal. 119, 11. melior margaritis, Prov. 8, 11. Quæ omnia illi amittunt, qui tantum verbum audiunt, non vero faciunt. Deus enim non irridetur. Gal. 6, v. 7.

### De Secundo,

**T**Ransibimus nunc ad alteram partem, *ἡ εὐνοσίχθων* sive notitiam Domini nostri Jesu Christi, contemplaturi. Proponeitur ille nobis in Evangelio hoc nostro:

1. *Tanquam æternitatis revelator.* Hanc nobis revelavit in exemplis divitis Epulonis, & pauperis Lazari.

In hoc mundo sunt justi, quibus mala proveniunt, quasi opera egissent impiorum: & sunt impii, quibus talia eveniunt, quasi iustorum facta habeant, Eccles. 8, v. 14.

Lazarus erat vir probus, qui Deum timebat. Sed qualis ejus fortuna? Erat

1. *Egenus*, ad egestatis terminos redactus, jacebat enim ad januam divitis, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis. Idem multos adhuc fratres habet, qui cantilenam hanc canere coguntur, usque in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudifumus, 1. Cor. 4, v. 11.

2. *Abjectus*, pauper enim ubique jacet, à paupere & hi, quos habuit, separantur, Prov. 19, v. 4. Pauperi dicitur: sede sub scabello pedum meorum, Jac. 2, v. 2. Id evenit Lazaro, & hodie omnibus iis, qui in miseria vivunt. Sir. 13, v. 29.

3. *Ulcerosus*, sive, ut Prophetæ verba mea faciam, à planta pedis usque ad verticem, non erat in eo integrum quiddam, Esa. 1, 6. Veri Christiani etiam ulcera sua habent, qua-